IULII ROSCII HORTINI ELEGIAE AD ILL.UM ET REUERENDISS.UM LUDOUICUM DE TORRES ARCHIEPISCOPUM...


Giulio Roscio, Damiano Grana

IVLII ROSCII HORTINI ELEGIAE

VM VM
AD ILL. ET REVERENDISS.
LVDOVICVM DE TORRES
ARCHIEPISCOPVM
MONTIS REGALIS

R.P.F. Damiani Granæ Veronensis Sacræ Theologiæ professoris ord. Seruorum opera in lucem editæ.





ROMAE,
Apud Iacobum Ruffinellum.
M. D. XC.
Permissu Superiorum.

DE LVDOVICI DE TORRES
In Siciliam ad Archiepiscopatum suum discessu.

PRoxima dũ celebris visurus rura Panormi,
Et per Sicanias uela daturus aquas
Deseris Etrusci sublimes Tybridis arces,
Et Vaticanæ tecta superba domus;
Scyllaq. mitescit, nantisque infesta Charybdis
Gurgite pacato per freta pandit iter:
Tum Zephyri aspirant placidi, cœloque sereno
Nocte sub obscura dant nitida astra diem.
I fœlix, cupidumq. gregem LVDOVICE saluta,
Et commissa tibi templa reuise pius.
Tempus erit cum te rursus properantibus annis
Excipiat grato Romula terra sinu;
Tunc dabit emerito vati frondentia serta,
Vellera Pastori murice tincta dabit.

I N

IN OBITVM LVDOVICI DE TORRES

Ad Ludouicum eiusdem Fr. F. elegia I.

PRæsulis eximij mærentes funere Musæ
Carmina cum lacrimis associate meis.
Ille decus Latij, lux ille & gentis Iberæ
Morte sua in tenebris liquit vtrumq. solum.
Vos quoque proiectis hederis, laurisque, cupressum
Aspicio laceris inseruisse comis.
Plectra procul, cytharaq; procul: det flebile carmen
Funereis plangens mæsta elegia modis.
Non ita se Tagus auriferis iactabat arenis,
Laudibus & meritis vt Pater alme tuis.
Recti cultor eras, & seruantissimus æqui,
Inque Decem solitus reddere iura viris.
Extulit, & sancta Tybris pietatis honores,
Et placidis cultum moribus ingenium.
Teque sinus Siculi carum videre parentem,
Et Regale auctum te moderante iugum.
Te veniente suos posuit trux Scylla furores,
Mitior & nautis sæua Charybdis erat.
Relligio sacris surgebat candida templis,
Surgebat prisca relligionis honos.
Quas lacrimas Arethusa dabit, quas territus Acis

Audiet vt patrem te periſſe ſuum?
At tu ſidereis admiſſus ſedibus, almi
Ore Dei frueris, cœlicolumque choris.
Illic deterſa cœca caligine mentis
Altius humana condicione vides
Naturæ varias vires, cælique meatus
Claraque natiuis ſidera luminibus:
Vt matutinis ſe lucifer exerat horis,
Vt peragat certas menſtrua luna uices:
Vtque notos aer, nubes vapor, vt ſua tellus
Germina fœcundo nutriat alma ſinu:
Fulminaque attritas inter crepitantia nubes,
Fluminaque, & fontes, Oceanumque patrem.
Fœlix quem celſo virtus adſcribit olympo,
Aeterno æternum perfruiture Deo.
Hic tibi fraterna Ludouicus prole ſuperſtes,
Illacrimans cineres aſſidet ante tuos;
Aonidum ſpes magna, & Apollinis inclyta cura;
Ille tibi verſus dedicat, ille lyram;
Perque tua audenti graditur veſtigia greſſu
Sanguine coniunctus proximus & meritis:
Hunc quoq; ſit merces non vltima habere Nepotẽ,
Cui Tyrio inficiat murice Roma togam.

Ad

Ad Franc. Marinum V. Eruditiss. In Siciliam redeuntem eleg. II.

ACcipe quas calamo tabulas, lacrimisq; notatas
Irriguis, ò pars pectoris vna mei,
Dum patriam repetis Zephyris per inane citatis,
Dum repetis Siculum per vada salsa solum.
Tu sine me dubijs committes carbasa ventis,
Tu sine me pelagi longius ibis iter?
Ast ego sub Tybris scopulo mærensque dolensque
Vota feram rapidis diripienda notis.
Ter sum conatus cythara lenire dolorem,
Plectraque delapsa ter cecidere manu.
Has propter ripas, atque aspera saxa querelas
Iactabo, has flebo propter aquas Tyberis:
Hac ego deserta sine te resupinus arena
Perfundam lacrimis pectora mæsta nouis.
Interea optati tanges tu litora portus,
Impones fessæ nautica serta rati,
Iam reor acclamant socij, portumque salutant,
Et plaudunt circum litora nota maris.
Aduentum nouere tuum saxa abdita ripis,
Quæque in arenoso frangitur vnda freto.
Sensit, & æquoreâ plausum Neptunus ab aula,
Senserunt Dryadum, Nereidumque chori.
Et circum astantes trepidanti corpore nymphæ,
Candida lætitiæ signa dedere lacu.

O vtinam tecum Zephyri me litora in alta
Sponte trahant, tecum me ferat vnda rati.
Tu ſeu Gangaridas, extrema ſiue ſub Arcto,
Sidera conſpicias neſcia nocte tegi,
Me non diſiungas: vectum per inhoſpita ſaxa
Spectabit ſcopulis ſcylla inimica ſuis.
Quo properas? Ferat vna duos per cœrula nauis:
Tu mihi dux comiti, tu comes eſto duci.
Sed quid plura loquor? Latum diſcriminat æquor,
Diuidit immenſi fluctus vtrũq; maris.
Quid faciam? Te pone ſequar? Ventoſq; rateſque
Sors negat, & rapidis Scylla minatur aquis.
At mihi finge dari pacata per æquora curſum,
Et litus Siculum. Quid iuuat? exul ero.
Flecte ratem, tecumque vna me ſume Marine:
Flecte ratem, pariter conſociemus iter.
At ſi non potis es noſtras audire querelas,
Specta animo ſcopulum, quem fera pulſat aqua.
Hoc ſcopulo affixus: frutices in vertice rari
Apparent, ſcopulus pendet adeſus aquis.
Hinc plangens miſer ad Superos languentia verto
Lumina, & egelidas trans freta longa manus.
Hinc tibi quæ ſuperant mitto ſuſpiria ab imo
Corde, nec heu quidquam pectora dura mouent.
Flecte ratem rapidus, verſoque relabere velo:
Si prior occumbam, tu prior oſſa teges.

Offa super volitabit Amor,Thetidisque marina
Natarum in lacrimas officiosa cohors.
Tuque ipse incides scopulis. Hoc Roscius antro
Conditur. Heu mortis causa Marinus erant.

Ad Pompeium Vgonium eloquentiæ in Rom. Gymnasio professorem in ipso anni exordio elegia. III.

EXoritur lux alma,anni nascentis origo
Qua festum reuehis candide Iane diem
Te penes est aui ingressus,ius cardinis omne,
Quo varias ætas fert reuoluta vices.
Per te optata colat pax agros, bella quiescant.
Gaudeat agrestes turba reuincta comas.
Aurea lux oritur, curuum suspendite aratrum.
Agricolæ & fesso soluite vincla boui:
Sepositis curis producite gaudia ciues,
Fundantur larga pocula plena manu.
Dicantur bona verba focis,iam Phœbus,et annus
It nouus. & socio cum sene Ianus adest.
Tempus erat cum Saturno comite ille regebat:
Cura aberant tristes,ira,dolusque procul.
Tunc lex ipsa fides,iustum,rectumq; piumq;
Tunc terris ætas aurea prima fuit.
Non qui signaret partitis finibus agros,
Non qui vrbes muris cingeret vllus erat.
Non tuba,non acies, non duri militis vsus

Non bello insanus strinxerat arma furor.
Sponte sua niueo spumabant flumina lacte,
Sponteque laxabat terra benigna sinus.
Iane bifrons optatus ades, sic aurea nobis
Secla feras, pacis, lætitiæque dator.
Lætitiæ dator huc adsis, sic tempora longa
Aduentu & reddas omnia fausta tuo.
Auspice te nobis redeat lux candida semper,
Auspice te felix frugibus annus eat.
Nos vero Vgoni cursum componere vitæ
Admonet incœpti temporis auspicium.
Tempus edax rerum volat irreparabile. Virtus,
Solaq; qua fulges fama perennis erit.

Ad Angelum Sangrinum monachum Casinatem elegia. IIII.

AD Vaticani tendebat limina templi
Procedens Marci festus ab Aede chorus:
Ille Dei recinit laudes, hic munera poscit,
Ille refert Stygio rapta trophœa lacu.
Gregorius dedit hæc populo solemnia, certat
Pellere tabentem dum pius vrbe luem.
Tunc generose senex mihi reddita Epistola, sanctos
Inter concentus sæpe iterata tuos.
Mirabar cantusq; pios, liquidum aera quamuis
Vndique compositus mulceat ore sonus.
Meandri niueus sic ad vada grata recumbens
Dicitur

Dicitur extremum concinere albus olor.
Felicem cui mortales contemnere curas,
Et datur optata posse quiete frui.
Quid iuuat aurifera mihi si Pactolus arena
Profluat & fului nobilis vnda Tagi?
Sim tamen in medijs sitiens si Tantalus vndis,
Semper inops rerum, semper auarus egens?
Omnibus est linquenda domus, carique nepotes,
Et quas hæredi seruat auarus opes.
Parthenope, te, lauta licet supereuehat astris
Pallade & illustris, claraque Marte domus,
Et patriam linquis, seruat quam cœrula Syren,
Et Mergillinæ rura beata tuæ:
Vmbrosumq; nemus tangis, collemque Casini,
Et queis Relligio præsidet alta iugis.
Illic sancte senex primis dum viuis ab annis
Intexis capiti laurea serta tuo.
Nursinum celebras Patrem prostratus in vmbra,
Teque iuuat Musis præposuisse Deum.
Sic puer ille sua non passus laudis honores
Sublacum, & montis concaua saxa petit.
Desertamque locat sedem sub rupibus altis
Romanus tenues præbet, & ipse dapes.
Ille quoque & villis præcinctus pectora, vepres
Inter, sanguineo verbere membra domat.
Hinc socios regit, inde iterum se in tecta recludit
Sexca

Saxea, & illuſtres aggregat orbe viros.
Cum primum tetigit frondentis celſa Caſini
Culmina, ſuccendit quot nemora alta focis?
Quis reliqua adnumeret? Sūmi ad faſtigia montis
E duro gelidas marmore ducit aquas.
Gurgite falx, quæ merſa prius ſe tollit in altum:
Miratur Gothus quod natet illa lacu.
Vrna lacu rapitur, Placidum rapit vnda ſequētē,
Eripit hunc Patris nomine Maurus aquis.
Inde venena fugat, falſas & dæmonis artes
Præuidet indomitis clauſtra futura feris.
Præuidet, & ruitura ſuperbæ mænia Romæ,
Et qui Romanos depopuletur agros.
Hinc prece dat vitæ puerum, redditque parenti,
Hinc pietas tenues Patris adauget opes.
In cælum tandem properat. Vox intonat aſtris
Hac carpit Sanctus ſidera ad alta viam.
Hac tu care ſenex, Patris veſtigia ſeruans.
Ibis ſidereum quà via pandit iter.
Pallentes vbi nec poſuere cubilia morbi,
Nec trepidum tardat cana ſenecta gradum.
Lux vbi clara nitet, regnat pax candida ſemper,
Diues & æthereas copia fundit opes.
Cæleſteſque animæ circum, vitæque perennes
Iucundos ducunt, & ſine fine dies.
Angele cum binis illuc te euexeris alis,
Vt terris, cælo ſic memor eſto mei.

Ad Horatium Massarium Casperiensem elegia. V.

MAssari decus Asperiæ, spes cara tuorum,
Atque inter vatum gloria magna choros:
Non ego sum, quem fingit amor: non Palladis artes
Non Sophiæ æternum spes mea anhelat iter.
Cura dies noctesque atrox iam corda perurit,
Et vexat miserum, discruciatque animum.
Sic satus Iapeto præcelso in vertice montis
Assiduam æterno viscere pascit auem.
Nec circum qui se attollunt mea pectora colles
Pertentant, veterum nec monimenta virum:
Nec Tyberis rauco circum mea septa pererrans
Murmure, nec ducti læta per arua greges.
Non iuuat attrita carmen tenuasse cicuta,
Non iuuat auratæ tangere fila chelys.
At tu quem Musæ doctis aluere sub antris,
Cui Pindi irriguos exhibuere lacus;
Et colles, vallesque cauas, armenta ferasque.
Dum canis, ad numeros & tua plectra trahis:
Iam patriam illustras versu, iamque aspide victo
Præduro è saxo nomina ducta doces:
Hic vbi pastores referunt ad aratra iuuencos,
Disponuntque sui debita septa gregis,
Arua Ceres cælo aspectat, late imbribus actis

Iup-

Iuppiter optatas tempore fundit opes:
Quaque sua pendent matura ex arbore poma,
Et spumant pleno pinguia musta lacu.
Felix pastores inter celebrabere cantu,
Et reddent voces vocibus antra tuis:
Et Dryades, Faunique leues, Panesque bicornes
Dona ferent vati laurea serta suo.
Macte animi virtute puer, tibi sera senectus,
Et veniat fausto sidere longa dies:
Non tua nigrantes hyemes, non dura perurant
Frigora, non tangat florea serta gelu:
Et si qua occulta dissecta est venula parte
Illa Machaonia restituatur ope.
Interea si forte iuuat penetrare Heliconis
Culmina, & aeterna cingere fronde comas
Vrsius ostendet siluas, cui pulcher Apollo
Nascenti arridens aurea plectra dedit.
Illius aeternum nomen sub pectore serua:
Casperia aeternis marmore sculpe notis.

Somniū quo Milisdeus Roscius pater Iulium F. alloquitur elegia. VI.

TEmpus erat placidae per opaca silentia noctis
Corpora quo dulci pressa sopore iacent;
Sidera cum claro rutilant labentia caelo,
Et stant pacatis caerula litoribus:
Tunc ergo defessus, laudisque accensus amore

Precu-

Procubui. Votis ad fuit alma quies.
Ecce mihi ante oculos cari genitoris imago,
Aeterni qualis cælitis esse solet.
Aurea cæsaries niuea ceruice fluebat,
Spirabat toto corpore sanctus odor.
Stant circum Aligeri, præfefert maxima vultu
Gaudia, qui vitæ duxque comesque fuit.
Hic gestans manibus cytharam modulatur, & alto
Hos mihi diuino reddit ab ore sonos.
Parce pijs lacrimis quisquis mortalia curas,
Ille tuus cæli iam tenet astra parens.
Sic ait, & celeri fertur velocior aura,
Subripuit se oculis protinus ille meis.
Tū super hæc genitor. Nate aspice, vt æthera in altū
Me vexit virtus quà via lacte fluit.
Huc tu etiam conuerte aciē: huc tua cura recurset
Quanta quies post tot dura pericla vide.
Crede, animus post fata manet: post funera, secla
Sunt noua. Mors nostri nil nisi corpus habet.
Vix fuerat depressa graui mens libera mole,
Vix dederam extremum voce cadente vale:
Ante Deum me stare iubet fortissimus Ales:
Penditur hoc, lancem, nostra, tenente, salus.
Hinc Herebi facies: Stygias prospeximus vndas,
Et vada Tartareis feruida semper aquis:
Hic sontes Deus vrget aquis, hic gurgite vasto

Heu

Heu miseram sortem vir mulierque gemit:
Parte alia aetherei postes, atque aurea tali
Limina victrici fronde reuincta patent.
Illic post duri superata incommoda secli
Praemia felici parta labore manent.
Hac inter dubiusque, tremens, auersa tuensque
Tartara contueor, contueorque Polum.
Multa animo verso quo se sententia flectat
Iudicis, & qua det condicione frui.
Nec mora. Me agglomerāt acies, & plena Senatus
Aula: simul plausu Regia tecta sonant.
Tecta quibus fugere procul contagia vitae,
Et male suada fames, & male sanus amor.
Non segetes, aestas torret, non Syrius ignes
Incitat, aut feruens excoquit ora sitis.
Nec niue bruma tegit colles, nec rura pruinis.
Nec sata praecipiti concutit imber aqua.
Mollibus at Zepyri demulcet flatibus aura.
Et vario semper flore renidet humus.
Sponte sua dat poma arbos, dat vinea botros.
Et spumans semper dat noua musta lacus.
Interea tu summe Deus mea pectora pascis,
Tu mentem reficis nectare, & ambrosia.
Tu mihi tuta quies; tu pax, tu sola voluptas.
Tu mihi pro cunctis vita perennis ades.
Vos lacrimae, mors dura, vrgent uos mille pericla

Mille

Mille pericla salo, mille pericla solo.
At tu nate mei pars, curaque maxima Iuli
Quid longum Sophiam voluere nocte iuuat?
Quid procul à patrijs tectis disquiris in Vrbe.
Quam vetus intortis Albula findit aquis
Præruptas Thermas, immania saxa Neronis,
Magnaque delusis culta theatra iocis,
Aut iam Tarpeij superans fastigia collis
Diruta miraris templa superba Iouis?
Te patriæ reuocant vmbræ, te ruris honores,
Et qui fons gelido fornice fundit aquas.
Hic crines viridi præcinctum fronde, parenti
Te decet ad Tyberim reddere iusta tuo.
Cespite sub veteri, patrioque in littore Rosci
Compone antiquis marmora sculpta notis.
Tuque malis ne cede puer, stant aurea secla,
Aurea cui Parcæ stamina longa trahunt.
Dixerat. In cælum velox contendit. Euntem
Cinxerat ætherei turba verenda chori.
Ter sum conatus circundare brachia collo:
Ter manibus lapsa est vmbra paterna meis,
Sic lachrymās somno excitus prope Tybridis vndas
Constiteram Superos in mea uota vocans.
Exclamo ò vtinam genitor dilecte beatum
Secreta ostendas quæ via monstrat iter.

In obitum Miliſdei Roſcij parentis opt. CIↃ. IↃ. LXXVII. III. Id Octob.

Ad Antoniũ Perez v.cl. Et à ſecretis Status Philippi potentiſs. Regis Hiſpaniarũ Carmen.

ANtoni Aonidum quid me deducis in hortos
Dũ ſuprema Patri defuncto munera reddo,
Et niueo è ſaxo tumulum prope Tybridis vndas
Erigo, vt inciſum viuat per ſecula nomen?
Hic viola tincta lacrymis, hic atra cupreſſus
Creſcit obumbrato tegmen factura ſepulchro.
At tibi Nympha loci viuaci tempora ſerto
Innectit, palmas inter, dum clarior auro
Applaudit Tagus, & felices ſpargit arenas.
An priſcum genus antiqua de ſtirpe referre
Ordiar, an Sophiæ ſtudium, ſecretaque Regis
Aſſeruata animo, prudenti & mente repoſta?
Non noſtrum eſt. Tentent alij quos fouit Apollo:
Namque audita nefas humili decurrere plectro
Quæ nemore Hortino, aut quodã prope rura meorũ
Cantauit ſtratus ſenior Tyberinus in alga.
Ecce iterum Patris ante oculos ſe reddit imago
Candenti veneranda coma, venerandaq; vultu,
Qui me naſcentem primum deduxit in auras
Qui nato dedit ingenium verſare per artes
Mille pius, cæloque dedit, Romaque potiri.
Melpomene iam conde caput dum lætior hora
Erigat, & frontem diſcuſſa nube ſerenet.

